## CANONIZATIO SANCTI BERnardi *Clareuallenſis abbatis per Alexandrum papam tertium. Anno Chriſti Milleſimo centeſimo ſexageſimoquarto.*

¶Literæ apoſtolicæ de uita & commendatione ſancti Bernardi quanto præconio excipiēdus ſit. Et primo ad prælatos eccleſiæ gallicanæ.

ALexāder eps̄ ſeruus ſeruorū dei uenerabilibꝰ fratribꝰ archiepis, epis,& dilectis filijs abbatibus,alijsq́ȝ eccleſiarū prælatis in regno Franciæ conſtitutis ſalutē & apoſtolicā benedictionē. Cōtigit olim dū eſſemus Pariſius conſtituti ut magni quidā ac uenerabiles uiri de canonizando ſanctæ recordatiōis Bernardo quondā Clareuallen. abbate facerēt mētionē, optātes utiq́ȝ & pijs nobis precibꝰ ſuggerētes ut in concilio qđ de proximo erat turonis celebrandū,digno huic & laudabili uoto,celebrē daremus effectū. Cūq́ȝ nos eidē negocio fauorabili ſatis intenderemus affectu:ſuperuenit multitudo & frequētia petitorū,qui in diuerſis prouincijs rē ſimilē poſtulabāt. Vnde cū uideremus nō poſſe cōgruenter oībus ſatisfieri:ſtatutū pro ſcādalo deuitādo etiā in hoc differri,qđ oportebat pro tp̄e cæteris denegari. Nuper autē ex inſtātia & deuotione Clareuallen. fratrū,& aliarū ſublimiū perſonarū eiſdē apud nos precibus innouatis reduximus ad memoriā noſtrā,eiuſdē beati uiri ſanctā ac uenerabilē uitā: qualiter ipſe ſingularis gr̄æ ꝓgatiua ſuffultus nō ſolū in ſcipſo ſanctitate ac religione ꝑfulſerit,ſed etiā in uniuerſa eccleſia dei fidei & doctrinæ lumine radiarit. Fructum uerò quē in domo dn̄i & uerbo operatꝰ eſt & exēplo,nullus ferè terminꝰ ſanctæ xp̄ianitatis ignorat:cū uſq́ȝ ad exteras quoq́ȝ barbaras natiōes religiōis inſtituta trāſmiſerit:atq́ȝ monaſteriorū fundationē extēderit:& infinitā multitudinē peccatorū per uiæ ſecularis latitudinē incedentē,ad ſpiritalis uitæ rectitudinē reuocarit. Special'r aūt ſacroſctām Romanā eccleſiā cui auctore dn̄o p̄ſidemus,ita quōdā ſub grauis ꝑſecutiōis turbine laboratē:tā uitæ merito quàm datæ ſibi cælitꝰ ſapiētiæ ſtudio ſuſtētauit:ut digne qdē & nobis & oībꝰ eiuſdē eccl'iæ filijs in memoria habēdus ſit,& deuotiōe perpetua uenerādus. In afflictione uerò corporis ſui uſq́ȝ adeo ſibi mūdū ſeq́ȝ mūdo reddidit crucifixū: ut cōfidamꝰ martyrū quoq́ȝ eū merita obtinere ſanctorū, quē cōfeſſiōis ordine & parſimonia uitæ,tā lōgū conſtat duxiſſe martyriū. Quibꝰ oībꝰ pia cōſideratiōe penſatis,& in concilio fratrū n̄rorū expoſitis:cōfiſi de mīa dei cui ꝑſeueranter & fidel'r militauit:necnō & de btōꝝ petri & pauli apl'oꝝ & eiuſdē btiſſimi cōfeſſoris meritis p̄ſumētes,eū apl'icæ ſedis auctoritate catalogo ſctōrū aſcribi madauimus, & cōmemoratiōis ſuæ feſtū decreuimꝰ amodo publice celebrādū. Vos ergo q & eiuſdē ſedis apl'icæ inſtituta ſuſcipere & deū in ſctīs ſuis cōſueuiſtis gl'ioſius honorare,ſic memoriā ſctī huiꝰ celebretis ī terris:ut p̄cibꝰ eiꝰ & meritis,digna p̄mia recipiatis in cælis. Datū Anagniæ.xv.Kal'. Februarij.

¶*Item apoſtolicæ literæ ad regem Franciæ. Vnde ſupra.*

ALexāder eps̄ ſeruꝰ ſeruorū dei:illuſtri Frācorū regi Salutē & apl'icā bn̄dictionē. Nouit(ut credimꝰ)regalis tuæ magnificētiæ celſitudo ꝙ ea q̄ cū honore dei grata tibi acceptaq́ȝ cognouimꝰ:ad utilē ſemp effectū magno & uolēti aīo ꝓmouemus. Maxime aūt hoc in illis operibꝰ obſeruamꝰ:ī qbꝰ ſpecial'r & honor dei,& ſuoꝝ gl'ia ſctōrū declarat̄. Sciētes q̄q́ȝ tibi fore gratiſſimū:qcqd ad decorē eccl'iæ,& ſupni regis honorē auctoritate fuerit apl'ica cōſtitutū. Vn̄ qm̄ ſctē recordatiōis Bernardꝰ q̄ndā abbas Clareuallis & deo ſp charꝰ:& tā tibi quā uniuerſo regno tuo gratꝰ extitit & acceptꝰ,eū ad gl'iā dei & exultationē eccl'iæ ac totius regni tui canonizādū decreuimus, & īter btiſſimos cōfeſſores feſtiua celebritate cōlēdū:tā de mīa dei & btōrū petri & pauli apl'orum eius cōfiſi meritis:quàm ſuæ cōuerſatiōis & ſctīmoniæ nō ignari. Monemꝰ igit̄ xp̄ianiſſimæ ſerenitatis tuæ regiā pietatē,ut hoc cæleſtis gr̄æ donū regno tuo te regnāte collatū lætæ deuotiōis brachijs amplectaris:eiq́ȝ iā cæleſti btītudine ꝑfruēti ſolita pietate deuotus exiſtas,quē ꝑ ſua uenerabili ſanctitate adhuc in terris poſitū diligebas. Clareuallēſe uerò monaſteriū qđ fundauit,ī q° etiā corpꝰ eiꝰ uenerabile requieſcit,ita te ob reuerētiā eiꝰ hr̄e uolumꝰ cōmendatū:ut eū ſemp merearis habere patronū. Datum Anagniæ.xv.Kal'. Februarij.

¶*Item eiuſdem ad omnes abbates Ciſtercienſis ordinis.*

ALexāder eps̄ ſeruꝰ ſeruorū dei dilectis filijs Ciſtercij, de firmitate,& pōtigniaci,& Clareuallis,& morimūdi,atq́ȝ uniuerſis abbatibꝰ ciſtercien. ordinis:ſalutē & apoſtolicā bn̄dictionē. Quoties honeſta nobis opportunitas exhibet̄,ut fidei & deuotioni quam circa eccleſiam dei n̄ris tp̄ibus habuiſtis,poſſimus in aliquo ꝓ meritis r̄ndere,opportunitatē ipam libēter amplectimur:& ī his maxime q ſpecialē noſcunt̄ redolere uirtutē ueſtris occurrere ꝑfectibus nō moramur. Cōtigit aūt hoc tp̄e ut uerbū qđ ab olim fuerat de beati Bernardi quōdā Clareuallis abbatis canonizatione ꝓpoſitū,& ꝑ quorūdā ſimilia poſtulantiū ſcādalo à turonenſis cōcilij celebratione dilatū,ad noſtrā reduceret̄ (deo uolente) memoriā:& faciente nobiſcū ſignū in bonū qui hoc pietatis opus,noſtris ſeruauit manibus conſummandū. Nos enim uitā & ſanctitatē eiuſdem beatiſſimi confeſſoris recordatione ſolicita memorantes: quomodo ſcilicet & in ſcipſo religiōis & ſanctimoniæ prærogatiua magnificus,& uniuerſæ eccl'iæ dei,ſpecial'r autē ordini u̅ro,fide & doctrina utilis extiterit:& copioſiſſime fructuoſus: confiſi de mīa dei, & beatorū apoſtolorū Petri & Pauli,necnon de eiuſdē ſancti cōfeſſoris meritis p̄ſumētes eū (frm noſtrorū cōmunicato cōcilio) auctoritate apl'icæ ſedis ſctōrum catalogo duximus aſcribendū, & diē depoſitionis ipſius in eccl'ia publice celebrādū. Vn̄ qm̄ hoc ita in gl'iam & honorē ſummi cōditoris exuberat ut in ueſtrā quoq́ȝ ædificationē,cōſolationēq́ȝ redundet: u̅ra potiſſimū intereſt oīpotēti deo gr̄as agere,qui modernis tēporibus uirū perfectæ & p̄dicabilis ſanctitatis in u̅ro ordine uoluit ſuſcitare. Vos igit̄ munificentiæ donū, ſpeciali deuotione ſuſcipite,& deum in ſanctorū ſuorū glorificatiōe mirabilem,in huius celebratione ſpecialiter honorate. Datum Anagniæ.xv.kal'. Februarij.

¶*Item eiuſdem ad Clareuallenſes.*

ALexander eps̄ ſeruus ſeruorum dei,dilectis filijs Gerardo abbati,& uniuerſo conuentui Clareuallis:ſalutem & apoſtolicā benedictionē. Sicut de religione & pietate,quā circa deū geritis nihil nobis reſtat ambiguū:ſic exhibite circa nos robur deuotionis & fidei clara ſemper eſt certitudine manifeſtum. Nō enim poteratis:ſed nec deinceps deo auctore poteritis à gratia ſanctitatis apparere degeneres quos ſancti patris conſtat eſſe hæredes,cui & gratia ſpiritalis abundauit ad meritum:& operum efficacia non defuit ad exemplum. Scitis nanq́ȝ & pia ueneratiōe recolitis qualiter beatæ memoriæ Bernardus cœnobij ueſtri primus abbas præcipuusq́ȝ fundator deo quidem pro uirtute religionis acceptus:& eccleſiæ dei pro plenitudine deuotionis & fidei extiterit gratioſus:ita ut merito deberetis haberi culpabiles,ſi imitationis & uenerationis ipſius eſſetis in aliquo negligentes. Placuit ergo nobis quòd pro eo tanquam pro pio patre ſolicitudinem habuiſtis:& canonizationem ipſius uoto laudabili poſtulaſtis. Nos quibus cordi ſemper eſt pro multis (fili abba) tuæ deuotionis obſequijs, & totius domus ueſtræ ſtudijs religioſis & pijs,ueſtris iugiter obtemperare precibus & profectibus aſpirare, uoto huic clementer annuimus:ut noſtram circa uos & gratiam & beneuolentiam comprobemus. Vita igitur eiuſdem beatiſſimi confeſſoris ad memoriam reuocata,quomodo ſcilicet fide & religione atq́ȝ doctrina præfulſerit quantoq́ȝ in eccleſia dei perſpicuæ claritatis lumine radiarit,cū fratrum noſtrorum conſilio habito confiſi de miſericordia dei & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, atq́ȝ de eiuſdem ſancti meritis præſumentes, catalogo ſanctorum